

interpretatur. Quidam historici tradunt eam primùm appellatam Samum, ab incolis postea Thracibus Samothracem cognominatam. Alij Amazonibus in Epiru aduentantibus ferunt deorum matrem hac oblectatam insula, & alios quosdam in eam, & filios quos Corybantes dicunt, traduxisse. Quis verò eorum extiterit pater, in arcanis sacrorum traditur. Mönstrasse quoq; ea fertur, quæ nunc in ea feruantur mysteria, templumq; asyllum statuisse. Per hæc tempora Mopsus Thrax à Lycurgo rege Thracia pulsus, Amazonum gentem coacto exercitu perualit. Cui Syphilus Scytha auxilio affuit, antea à Scythis Thraciæ finibus expulsus. Prælio inter eos Amazonasq; commisso, Mopsi Syphilisq; res superior fuit, Myrina cum pluribus alijs interempta. Postea cum sapius à Thracibus acie superarentur, tandem quæ superferuerant Amazones in Libyam reuertere: ibi que earum militiæ finis, ut aiunt, fuit.

## DE IIS QUÆ DE NYSA FERVNT

*tur fabulæ: in quibus de Titanibus, de Dionysio,*

*de eorum matre continetur.*

*Cap. V.*

Postea verò quàm Atlantidum meminimus, haud ab re erit, deorum genus qui ab his prodisse feruntur, cum & Græci parum ab his dissentiant, recensere. Atlantidæ, ut accepimus, loca propinqua oceano, & quidē feliciā incolentes, tum pietatis, tum erga aduenas humanitatis præ cæteris finitimis gentibus laudem tulerunt. Ab his deorū genus manasse tradunt: quibus assentitur præstantissimus Græcorum poeta, Iunonem, Oceanum deorum patrem, & matrem Thetim appellentem introducens. Scribunt autem, primum regnasse apud eos Cælum: hominesq; antea per agros dispersos, ad cæterum, condendasq; urbes exhortatum, à fera eos agricolisq; uita ad mitiorem cultum traduxisse. Alluefecisse insuper domesticos fructus serere, aliq; permulta ad communem uitæ usum spectantia docuisse. Tenuisse quoque magnam orbis partem, maximeq; loca ad occidentem atque ad septentrionem sita. Astrorum quoque diligens extitit obseruator, multa hominibus futura prædicens. Annum etiam confusum antea, à Solis, menses verò à lunæ motu descripsit: singulaq; anni designauit tempora. Quæ ex re multi ignorantes astrorum ordinem sempiternum, admirati autem futurorum prædictionem, arbitrati sunt, eorum auctorem naturæ diuinæ participem: Post eius obitum, tum ex eius beneficentiâ, tum astrorum notitiâ, immortales honores adeptus est. Hoc autem constat, illum nomen hoc sortitum esse ob astrorum occasus, ortusq; multarum que rerum peritiam: tum verò propter honores illi pro beneficijs suis impensos, tum & ipsum regem sempiternum omnium appellarunt. Cælum ex pluribus uxoribus suscepisse ferunt filios quinque & quadraginta: horum decem & septem ex Titea ortos, proprio nomine singulos, communi autem omnes à matre appellauit Titanas. Titeam verò prudentiâ præditam, cum plurimum mortalibus profuisset, ab eis post obitum deificatam, terramq; esse cognominatam. Genuit quoque filias, quarum duæ, Regina uidelicet, & Rhea, quam Pandoram dixere superiores ætate, cæteris euaserunt clariores. Ex his Regina prior annis, prudentiâq; & uirtute reliquis præstantior, in gratiam matris fratres omnes educauit: eoque magnam aiunt matrem appellatam. Postea verò quàm pater post obitum ad deos transijt, communi populorum fratrum que consensu regnum cepit adhuc uirgo, cum nulli